

# DE TANAGRAEORUM SACRIS

SCRIPSIT

CAROLUS BUSLEPP

---

COMMENTATIO GYMNASII VIMARIENSIS

---

---

VIMARIAE

AULAE OFFICINA TYPOGRAPHICA

PROGR. N. 886

1908



9we  
6 (1908)

986





DE TANAGRAEORUM SACRIS

SCRIPT

CAROLUS BUSEPP

COMMENTATIO GYMNASII VIMARIENSIS

VIMARIAE

ALVAR OPFICINA TYPOGRAPHICA

1891

1891 n. 338



## De Tanagraeorum Sacris

scripsit

Carolus Buslepp.

### De Amphiarao.

Nulla Graeciae regio ita dis et heroibus in antris et specubus cultis praevaluit ut Boeotia; quae religiones imprimis antiquioribus temporibus antequam Aeoles terram obtinuerunt floruisse videntur. Quorum heroum longe clarissimi Trophonius fuerunt et Amphiarus, cuius religio primum in regione Tanagraea instituta Thebas, Rhamnunta, Megara, Argos, Spartam translata est. Quem primum inter Graios in Asopi vallibus amplissimum eorumque deum peculiarem fuisse nominis forma U. de Wilamowitz (Hermes 21, 107 sq.) docuit.

Duo Amphiarai fuere in finibus Tanagraeis sacella: alterum Harmate prope Mycalessum situm, alterum Oropi, quam urbem Wilamowitz (l. c.) celeberrimam Graiorum sedem fuisse censuit. Gruppe (Gr. Myth. p. 72) adytum Harmate exstructum vetustius quidem, sacellum vero Oropium fama clarius fuisse iudicavit, quippe quod una cum Oropiorum urbe Atheniensium finibus posteriore aetate adiunctum a poetis Atticis laudibus popularibus elatum esset. Huc usque res optime procedunt. Attamen quaeramus de oraculis editis. Cum Oropi celeberrimum Amphiarai oraculum fuerit, contra Harmate infima demum aetate semideus ille consultus esse videatur, Unger (Parad. Theb. p. 164) et Wilamowitz Oropi tantummodo fuisse Amphiarai oraculum contendunt, Harmate sacellum. Thebanos vero Herodoto teste (8, 134) iniuria Amphiarorum oracula edentem sibi vindicasse censeo, etsi Wolff (Myth. L. s. v.) loco<sup>1</sup> corrupto usus fana Oropi et Harmate exstructa e regione Thebana translata esse arbitratus est. Neque quod fabulae de Amphiarao agentes circa Thebas versabantur, ea ex re colligere licet sacra quoque Amphiarea ex Boeotiae capite derivanda esse. Ex verbis vero infra de delubro Harmate condito scriptis a Strabone<sup>2</sup> et Pausania<sup>3</sup> prope Boeotorum Harma Amphiarorum delapsam *πάμπυρον* umbris imperare (Sophocles El. 838) cognoscimus, non in vico aut oppidulo Atticorum,

<sup>1</sup>) Strabo 9, 2, 10: *ἐκ Κνωπίας δὲ τῆς Θηβαϊκῆς μεθιδρό[θη κατὰ χρησμὸν] δεῦρο (= εἰς Ὠρωπὸν) τὸ Ἀμφιάρειον.*

<sup>2</sup>) 9, 2, 11: *κεῖται δὲ (ὁ Μυκαλησοῦς) παρ' ὄδον [τὴν ἐκ] Θηβῶν εἰς Χαλκίδα· ὡς δ' αὐτῶς καὶ τὸ Ἄρμα, τῆς Ταναγραϊκῆς κόμης ἔρημος περὶ τὴν Μυκαλησοῦν, ἀπὸ τοῦ Ἀμφιαράου ἄρματος λαβοῦσα τοῦνομα, ἑτέρα οὖσα τοῦ Ἄρματος τοῦ κατὰ τὴν Ἀττικὴν, ὃ ἐστὶ περὶ Φυλῆν, δῆμον τῆς Ἀττικῆς ὁμορον τῆ Τανάγρα . . . περὶ δὲ τοῦ Ἄρματος τοῦ Βοιωτικοῦ οἱ μὲν φασὶν ἐκπεσόντος ἐκ τοῦ ἄρματος ἐν μάχῃ τοῦ Ἀμφιαράου κατὰ τὸν τόπον, ὅπου νῦν ἐστὶ τὸ ἱερόν αὐτοῦ, τὸ ἄρμα ἔρημον ἐνεχθῆναι ἐπὶ τὸν ὁμώνυμον τόπον.*

<sup>3</sup>) 9, 19, 4: *Ἐξῆς δὲ πόλεων ἐρείτιά ἐστιν Ἄρματος καὶ Μυκαλησοῦ· καὶ τῇ μὲν τὸ ὄνομα ἐγένετο ἀφανισθέντος, ὡς οἱ Ταναγραῖοί φασιν, ἐνταῦθα Ἀμφιαράου τοῦ ἄρματος, καὶ οὐχ ὅπου λέγουσιν οἱ Θηβαῖοι.*



ut Attici quidam poetae popularium laudem aucturi tradiderunt. Philostratus quoque deum hunc ad inferos ibi delabentem (Imag. 1, 27) fecisse videtur.

Cum Amphiarai nominis forma Boeotia idem atque Atticorum Ἀμφι-ιερος sibi velit, deum hunc esse, ut ita dicam, Plutonem Tanagraeae regionis, praesertim cum sine curru nullo loco repraesentatus sit concludere licet. Deum illum primum in his finibus invocatum esse a Pausania (9, 34, 1) discimus, nec mirum est eum vatis munere functum esse, quippe qui oriundus esse dicatur patre Apolline, deo peculiariter divinatione praedito, et avo Melampode, cuius stirpi omnino divinatio data erat. Quomodo factum sit, ut Amphiarus Argivus tantam vim haberet in fabulis cum Boeotiae tum Thebarum, nec tales partes ei essent in Peloponnesiorum, adhuc nondum evinci potest. Neque tamen dubitandum est, quin, quo loco Amphiarus dormientibus in somniis vaticinans celebrabatur, fabula (Thebaïs), qua de illo agebatur, posterior nata sit, cultus vero vetustior fuerit. Heroas autem illos specubus abditos non antiquitus pro mortalibus habitos esse, sed initio ipsos superos fuisse, fabulis vero sensim conversos et in specus translatos esse, praesertim cum et Trophonius et Amphiarus in suo quoque fano nomine Iovis invocatus sit (cf. Meister: Boeot. Inschr. 423; Ps.-Dicaearchus I § 6; Paus. 1, 34, 2) reici non potest. Pausanias, quomodo res acciderint, ignarus contrarium factum esse putavit, cum prorsus alia verba de Amphiarao fecerit<sup>1</sup>. Posteriore igitur aetate, cum non iam scirent, quid illi vates specubus abditi sibi vellent, homines fuisse dicebantur, quos vita decessisse negabant. Putabant autem neque anima neque corpore solutos in intima tellure vivere. Quam ob rem istos vates modo deos, modo heroas, modo mortales appellatos esse non mirandum est. Non aliter atque Amphiarao accidit Thessalorum deo infero Aesculapio, quem Homerus mortalem fuisse tradidit, alii poetae dis superis inseruerunt. Quibus dis inferis ut Amphiarao, Trophonio, Pythoni Delphico, Erechtheo, Hyacintho, cum deessent sacerdotes, qui religionem propagarent velut Aesculapii, evenit, ut uno tantum adyto contenti essent, specu, nec latius veneratio efferretur (cf. Rohde: Psyche<sup>1</sup> p. 106—132). Quorum cum denique vel numen divinum diminueretur, instar vatum et mortalium memoria mansit.

#### De Asopo.

Tanagraeae regionis fluvius longe maximus Asopus erat; nec mirum est, cum in fluminibus magnam partem agrorum cultura et fertilitas sitae essent, cum fluvium pro deo in honore habitum esse. Itaque eius imaginem nummus Tanagraeus (Imhoof-Blumer: Num. Ztschr. 9, 30 n. 108) praebet, in quo amnem barbatur repraesentatum videmus; quamquam symbolum aliquod, quo adiecto dilucidius fluvii deum repraesentatum esse appareat, deest, inscriptione Ἀσωπός in margine impressa in dubium vocari non potest, quin dei imago praebeatur. Atque quoniam imagines in nummis effictae ad statuas quasdam institutas aut alia artificia respicere solent, inde artificium aliquod, quo fluvius expressus erat, in urbe positum fuisse concludere licet. Huc accedit, ut Tanagra, a qua femina a Poemandro, urbis conditore, in matrimonium ducta urbi Tanagrae nomen inditum esse dicebatur, a Corinna teste Pausania Asopi filia appellata sit<sup>2</sup>. Quo ex testimonio fabulam etiam aliter traditam esse discimus, ita ut Tanagra Aeoli filia diceretur (cf. Myth. L. s. v.; Pauly-Wissowa s. v.).

<sup>1</sup>) 9, 34, 2: θεὸν δὲ Ἀμφιάραιον πρότοις Ὠρωπίοις κατέστη νομίζειν, ὕστερον δὲ καὶ οἱ πάντες Ἕλληγες ἤγγηται καταλέξαι δὲ καὶ ἄλλους ἔγωγε γενομένους τότε ἀνθρώπων, οἳ θεῶν (παρ') Ἕλλησι τιμὰς ἔχουσι, τοῖς δὲ καὶ ἀνάκεινται πόλεις . . . . Λεβάρεια Βοιωτῶν Τροφώνιῳ.

<sup>2</sup>) 9, 20, 1: Ποίμανδρον δὲ γυναῖκά φασιν ἀγαγεῖσθαι Τανάγραν θυγατέρα Αἰόλου. Κορίνη δὲ ἔστιν ἐς αὐτὴν πεποιημένα Ἀσωποῦ παῖδα εἶναι.

## De Atlante et Orione.

Quid sibi vellent fabulae, quae ad Atlantem spectant, iam veteres disceptarunt. Ac primum quidem philosophi eum significare mundi axem per dei speciem celebratum arbitrati sunt, alii montem illum Africae sub eius nomine latere existimaverunt, sicuti Vergilius (cf. Verg. Aen. 4, 246 sqq.) pulcherrime Atlantem senem cum illo monte comparavit. Praeterea non defuerunt, qui sub Atlantis nomine οὐρανὸν ἀστερόεντα ferentis mathematicum quendam aut philosophum latere putarent. Qualis ille Tanagrae in monte Polo, qui dicebatur, cultus esse videtur Pausania<sup>1</sup> teste. Qua ex Pausaniae narratione eam Atlantis venerationem non vetustam fuisse sequitur, cum, quae munera ei fungenda ascribuntur, non vetustiora saeculo sexto et quinto fuerint, neque, quin haec fabula e ratiocinatione nata sit, dubitari potest. Itaque Wernickei opinionem contendentis (Pauly-Wissowa s. v.) non semper Atlantem ibi in honore habitum esse, sed Tanagraeos in maiorem Mercurii laudem avum in Polo monte philosophantem finxisse sequamur. Nam in illa urbe iam Mercurius et mater Maia et Orion (Paus. 9, 20, 3: ἔστιν Ὀρίωνος μνήμα ἐν Τανάγρα, καὶ ὄρος Κηρύκιον) celebrabantur, qui arte cum illa dea et eius sororibus, Pleiadibus, quas Bacchum nutrientes Orion persecutus esse dicebatur, cohaeret, tum ibi Polus ille monstrabatur. Quae fabula ad Orionem respicit, a rebus caelestibus petita est, cum Orionis sidus Pleiades persequi veteres animo cogitarent, qua de fabula Mueller (Prolegg. in Myth.) luculenter egit. Facile praeterea Liber, pluviae et fertilitatis deus, cum Pleiadibus, quarum sidere oriente futura pluvia indicabatur, conferri potuit. Quo factum est, ut deae illae Liberi nutrices putarentur et inter se hi Tanagraeorum di Atlas, Pleiades, imprimis Maea, Mercurius, Bacchus, Orion arte cohaerent, quos populares deos Corinna carminibus celebrasse verisimile est. Quem in numerum denique Neptunus, quippe qui cum alia Atlantis filia, Aleyone, Aethusam genuerit, a qua Poemandri, Tanagrae conditoris, origo ducebatur, referendus est.

## De Caesaribus.

Postquam iam diu in barbarorum regnis reges velut in Aegypto, Media, inde ab Alexandri M. aetate etiam in Graecia divino honore usi sunt, mos ille postea in imperii Romani provincias receptus et Romam translatus est. Quo factum est, ut divus Caesar statuis in templis inter deorum simulacra institutis in altera statua „Caesari heroi“, in altera „invicto deo“ (Mommsen: Roem. Staatsr. 2<sup>2</sup>, 2, 132) incidi iuberet. Mortuis Caesaribus Romae honores divini tribuebantur, in provinciis viventibus. Hisce vero ex titulis: C I G S 569: *Καίσαρος Σεβαστοῦ*. C I G S 1857: *Καίσαρη ἐν Τανάγρα τρίς*. C I G S 5701: *Μᾶρκος Κορκήμιος Νέροα*. Tanagrae imperatores Romanos non solum esse cultos pro deis, sed etiam in illorum honorem certamina esse instituta videmus. Primum titulum Dittenberger rettulit ad Augustum (cf. adn.). Attamen, quem ad Nervam, utrum ad imperatorem, an ad alium virum, cui idem nomen erat, spectet titulus tertius, certe non potest diiudicari. Caesariani ludi sive Caesarea agebantur etiam Corinthi (C I G S 1856) et Thespiis, qua in urbe una cum Museis in Musarum Heliconidum honorem actis (C I G S 1775, 1776) fieri solebant (Cf. Sam Wide, p. 361—64).

<sup>1</sup>) 9, 20, 2: ἔστιν . . . Πόλος τε ὀνομαζόμενον χωρίον. ἐνταῦθα Ἄτλαντα καθήμενον πολυπραγμονεῖν τὰ τε ὑπὸ γῆν φασὶ καὶ τὰ οὐράνια, πεποιησθαι δὲ καὶ Ὀμήρω περι τούτου:

Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅς τε θαλάσσης  
πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δὲ τε κίονας ἀντὶς  
μακράς, αἱ γαῖαν τε καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσιν.



## De Cerere et Proserpina.

Antiquissimis iam temporibus Cereris religio cum per magnam Graeciae partem eaque inter eas gentes, quae ante Dorum incursions et aliarum nationum terram obtinuerunt, tum in Tanagraea regione floruit. Atque, quoad fieri possit, cum, quaecumque testimonia<sup>1</sup> exstant, aut sint obscura aut illa non tam ad cultum urbanum ipsum quam ad cultus propinquos et inde derivatos vel vicinarum urbium pertineant, mihi a veterrimis temporibus proficiscendum videtur. Singulos deos per varias formas, donec vis potissimum ea propria iis attributa est, quam nos peculiariter iis ascribere solemus, longis temporum spatiis celebratos esse negandum non est. Velut Graecis, ut ita dicam — neque vero temporibus illis remotissimis Graecorum nomen fuit — dea fuit fertilitatis et frugum, quae per magnam Graeciae partem colebatur, quam deam Preller (Demeter u. Persephone p. 18) praecipue a Pelasgis in honore habitam esse demonstravit. Eius deae cultum a Doribus in fines ingressis oppressum esse Herodotus<sup>2</sup> loco clarissimo nos docuit. Ceterum Pelasgorum nomen nihil aliud nisi gentes, quaecumque ante hominum memoriam in Graecia habitarunt, significavit ut Achaeorum (cf. Thuc. 1, 13), quoniam Iones quoque *αυτόχθονες*, qui dicuntur, uno loco (5, 58) excepto ab Herodoto Pelasgi appellati sunt. Itaque cum iam priusquam Dores Graeciam occuparunt, Cererem in iis finibus amplissimam fuisse viderimus, ei deae, propterea quod qui tum Graeciam incolebant, Achaei erant, Achaeae cognomen fuisse non miramur (Wilamowitz: Hermes 21, 106), quo facilius ab aliis eiusdem deae formis separaretur. Quorum Achaeorum exiguam partem, cui ut per saecula ingressis gentibus resisteret, contigerit, Toepffer (Att. Gen. *Γεφυραῖοι*) Gephyraeos, quam gentem

<sup>1</sup>) Steph. Byz. s. v. *Γέφυρα*: *Γέφυρα*, πόλις Βοιωτίας, τινὲς δὲ τοὺς αὐτοὺς εἶναι καὶ Ταναγραῖους φασίν, ὡς Στράβων (p. 404) καὶ Ἐκαταῖος (frgm. 89), ἀφ' οὗ καὶ Γεφυραία ἢ Δηώ.

Herodot. 5, 57: *Οἱ δὲ Γεφυραῖοι, τῶν ἦσαν οἱ φρονέες οἱ Ἰππάρχων, ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσιν, ἐγγρόνεσαν ἐξ Ἐρετριῆς τὴν ἀρχήν, ὡς δὲ ἐγὼ ἀναπυθιανόμενος εὐρίσκω, ἦσαν Φοίνικες τῶν σὺν Κάδμῳ ἀπικομένων Φοινίκων . . . οἴκων δὲ τῆς χώρας ταύτης ἀπολαχόντες τὴν Ταναγραϊκὴν μοῖραν.* c. 61: *οἱ δὲ Γεφυραῖοι ὑπολειφθέντες ὕστερον ἐπὶ Βοιωτῶν ἀναχωροῦσιν εἰς Ἀθήνας· καὶ σφι ἰσά ἐστι ἐν Ἀθήνῃσι ἰδρυμένα, τῶν οὐδὲν μετὰ τοῖσι λοιποῖσι Ἀθηναίοισι, ἀλλὰ τε κηχωρισμένα τῶν ἄλλων ἰσῶν καὶ δὴ καὶ Ἀχαιῆς Δῆμητρος ἰσῶν τε καὶ ὄργια.*

Plutarch. de malign. Herod. 23: *Ἀριστογείτονα μέντοι οὐκέτι κύκλω (καὶ καλῶς), ἀλλὰ ἀντικρὺς διὰ πυλῶν εἰς Φοινίκην ἐξελαίνει, Γεφυραῖον γεγονέναι λέγων ἀνέκαθεν· τοὺς δὲ Γεφυραῖους οὐκ ἀπ' Εὐβοίας, οὐδ' Ἐρετριεῖς, ὥσπερ οἰοῦνται τινες, ἀλλὰ Φοίνικας εἶναι φησιν, αὐτὸς οὕτω πεπυσμένος.*

Aristoph. Acharn. 708, scholion: *ὅς μὰ τὴν Δῆμητρα· Ὅστις προσβύτης ἐπὶ τοῦ τοξότου βλαπτόμενος οὐδὲ τῆς Δῆμητρος ἠνέσχετο, ἠρίκα ἦν νέος· Ἀχαιῶν δὲ τὴν αὐτὴν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ κτύπου τῶν κυμβάλων καὶ τυμπάνων τοῦ γενομένου κατὰ τὴν ζήτησιν τῆς Κόρης. ἢ ἀπὸ τοῦ ἤχου, ὃν παρεῖχε τοῖς περὶ τὴν γέφυραν εἰς Ἀθήνας ἀπιούσιν· ἢ ἀπὸ τοῦ περὶ τὴν θυγατέρα ἄχους.*

Plutarch. de Iside et Osiride 69: *Πῶς οὖν χρηστότεον ἐστὶ ταῖς σκυθρῶπαις καὶ ἀγελάστοις καὶ πενθίμοις θυσίαις . . . καὶ παρ' Ἑλλήσιν ὁμοία πολλὰ γίνεται περὶ τὸν αὐτὸν ὁμοῦ τι χρόνον, οἷς Αἰγύπτιοι δρωσὶν ἐν τοῖς δόσις. Καὶ γὰρ Ἀθήνησι νηστεύουσιν αἱ γυναῖκες ἐν Θεοδομοφορίοις χαμαὶ καθήμεναι. Καὶ Βοιωτοὶ τὰ τῆς Ἀχαιῆς μέγαρον κινούσιν, ἐπαχθῆ τὴν ἐορτὴν ἐκείνην ὀνομάζοντες, ὡς διὰ τὴν τῆς Κόρης κάθοδον ἐν ἄξει τῆς Δῆμητρος οὐσης. Ἔστι δὲ ὁ μὲν οὗτος περὶ Πλειάδα σπόριμος, ὃν Ἄθυρ Αἰγύπτιοι, Πυανεμῖονα δ' Ἀθηναῖοι, Βοιωτοὶ δὲ Λαμῆτριον καλοῦσιν.*

C I G S 1867 (Thespieae): *Φλαουίαν Ἀρχέλαν τὴν καὶ Τειμοξέναν Ἀνσάνδρου καὶ Δορκύλου θυγατέρα ἱέρειαν διὰ βίον Δῆμητρος Ἀχαιῆς . . .*

C I A 3, 373: *Δημήτηρ Κουροτρόφος Ἀχαιά.*

<sup>2</sup>) 2, 171: *καὶ τῆς Δῆμητρος τελετῆς περὶ, τὴν οἱ Ἕλληγες θεοδομοφορία καλέουσι, καὶ ταύτης μοί περὶ εὐστομα κείσθω, πλὴν ὅσον αὐτῆς ὁσίη ἐστὶ λέγειν. Αἱ Λαυασὺ θυγατέρες ἦσαν . . . καὶ διδάξασαι τὰς Πελασγιωτίδας γυναῖκας. Μετὰ δὲ ἐξαναστάσης Πελοποννήσου ἐπὶ Λωριέων ἐξαπώλετο ἡ τελετή, οἱ δὲ . . . οὐκ ἐξαναστάντες διέσωζον αὐτὴν μῦθοι.*

Tanagraeam regionem incoluisse traditum est, putat. Huc accedit, ut urbi ipsi Hecataeo et Strabone testibus nomen Gephyraea et deae Cereri inde *Γεφυραία ἢ Δηώ* fuerit. Neque enim fieri potest, ut ea Cereris forma separetur a Gephyraeis, quos plerique viri docti Herodoti commentum (5, 57) ex arbitrio natum secuti, quippe quod ipsorum Gephyraeorum memoriae, cum ipsi patriam vetustiore Euboeam insulam aut urbem Eretriam fuisse insuper Plutarcho teste (de malign. Herod. 23) affirmarint, repugnet, Phoenices censuerunt (Toepffer: l. c.). Nec mirum est Plutarchum, quippe cui non persuasum sit Gephyraeos ex Phoenice oriundos esse nec Cereris venerationi barbarorum proprietates inesse quasdam, in Herodoti illa opinione offendisse et Wilamowitzium virorum doctorum (Toepffer: l. c., Curtius Ges. Abhdl. p. 9) recte refutasse sententias.

Nunc vero quibus praeterea locis illa dea culta sit, videamus. A Plutarcho eam omnino in Boeotia amplissimam fuisse, ex titulo Thespiis reperto sacerdotes scilicet mulieres ibi habuisse discimus. Athenis vero ex Aristophanis loco (Acharn. 708), Herodoti testimonio (5, 57), titulo (C I A 3, 373) illam notissimam fuisse apparet. Quomodo dea cum Hyperboreorum fabula coniuncta sit, apud Pausaniam (5, 7, 7) legimus: *πρῶτος μὲν ἐν ὕμνῳ τῷ ἐς Ἀχαιίαν ἐποίησεν Ὀλὴν Δόκιος ἀφικέσθαι τὴν Ἀχαιίαν ἐς Δῆλον ἐκ τῶν Ὑπερβορέων*. Denique ex lapide in Cithaerone reperto saeculi VI. etiam Plataeis illam fanum habuisse colligitur (Roehl: I G Ant. 144).

Cum Cereris Achaeae cognomen a vocabulis aut *ἄχος* (τῆς Κόρης) aut *ἡχεῖν* derivetur, utrumque vocabulum ad Proserpinam raptam spectare videmus, nec aliter cognomen cum voce *ἡχος*, quod respicit ad Tanagraeos Cerere duce Tanagra emigrantes, conferri. Nunc utrum recte Proserpina rapta cum Achaeae cognomine collata sit, quaeritur. Quoniam eam Cererem peculiariter inter vetustiores gentes adoratam esse accepimus, illis antiquissimis temporibus Cererem non Proserpinae matrem, ne apud Homerum quidem, existimatam esse monendum est. Nam Proserpinae, cum ea aetate uxor Plutonis, umbrarum saeva domina putaretur, in hymno demum Homericō qui dicitur in Cererem non multo ante VI. saeculum confecto originem a Cerere ductam esse ostendi potest. Ceres autem Achaea, Achaeorum peculiaris dea, Iovis uxor esse et eum locum tenere dicebatur, quem Iunoni attribuere consuevimus. Contra in Boeotia ne temporibus quidem historicis, quae dicuntur, Iuno magno in honore erat, quippe cuius ordinem et auctoritatem Ceres aut Latona praeoccupavissent. Inde initio prorsus diversas deas fuisse *Περσεφόνην* et *Κόραν* sequitur, quae nominis forma saepius in usu est quam illa. Neque enim *Κόρα*, ut nomine indicatur, a matre removenda est atque semper haec est dea venusta. Contra *Περσεφόνην*, id quod iam nomine explicatur, severa putatur dea nec quidquam obstat, quominus cum ea dea, quam Scandinaviae incolae Hel appellarunt, conferatur. Quare Achaeae cognomen neque a voce *ἄχος* neque *ἡχεῖν*, quippe quae vocabula et ad Proserpinam raptam et Cererem matrem pertineant, quales ea aetate nondum fuerunt, deduci posse intellegimus. Illa igitur interpretatio etymi falsa est ac posterioribus temporibus nata, cum quid cognomen illud sibi vellet, iam ignoraretur. Quod ab Achaeorum nomine deductum esse cum non erat notum tum illa explicatio, praesertim cum Achaeorum nomen tum ad exiguas gentis reliquias referretur, quae iam pridem ex iis finibus, in quibus deam illam ea aetate venerabantur, decesserant, multo simplicior esse neque ad res quadrare videbatur. Tamen, cum in ea regione, quae Achaea appellabatur, saeculis vel recentioribus Ceres Panachaea coleretur, illa gens optimam nobis cognominis explicationem praebuit, quippe in cuius deae tutela Achaei, qui postea erant, et foedus, quo coniuncti erant, fuisse mihi videantur (Toepffer: Beitrage p. 164). Itaque qua fuerunt doctrina, quomodo cognomen explicaretur inquirebant; unde explicationes illae, quarum



altera ad Proserpinae raptum illa aetate a mimis repraesentatum diebus festis Plutarcho teste (de Iside et Osiride 69) Eleusine, Athenis, in Boeotia, altera ad Tanagraeos Athenas petitorios (Etym. M.) spectabat, vera nominis significatione oblivione obruta natae sunt. Attamen ea in re id monendum puto non Tanagraeos omnino Athenas emigrasse, sed vulgo Gephyraeos, quorum peculiarem deam Achaeam Cererem eodem translata esse constat, sedes petiisse tradi, scilicet eosdem, de quibus Herodotus (5, 57—61) egit. Nunc vero, quid sibi alterum cognomen eidem deae Hecataeo et Strabone testibus attributum velit, videamus. Quod cognomen cum hypocoristicum *Δημήτηρ* nominis, tum ab eadem radice *Δη-* atque *Δημήτηρ* derivatum esse putatur; atque *Δη-* et *Γη* radices a multis viris doctis congruere statuitur. Inde *Δημήτηρ* et *Γῆ μήτηρ* voces idem significare sequitur. Neque vero *Δηώ* vocabulum cum verbo *δήω* = quaerere conferre licet, quippe cui cognomini tum demum sensus inesset, si ad filiae raptum, quem a nostra disputatione procul habendum esse arbitror, referremus.

Nec mirum est deam fertilitatis matrimonii quoque deam factam esse, cui peculiare Thesmophorus cognomen erat, ut cum multarum urbium tum Athenarum docet cultus.

Quae res inde facta est, quod matrimonium et agrorum cultura maxime propinqua esse veteribus videbantur, ita ut totiens matrimonium et terrae cultura a veterum scriptoribus conferrentur (cf. Soph. Oed. rex 1256 sq.). Thesmophorum Cererem eandem atque Tanagraeorum Achaeam fuisse tribus ex argumentis accepimus. Ac primum quidem dies eius Cereris festus, quam feminae Peloponnesi Pelasgicae venerabantur, id est mulieres Achaeorum postea a Doribus oppressorum, Thesmophoriorum nomine teste Herodoto (l. c.) appellabatur. Huc bene accedit, quod Plutarchus Boeotum Achaeae diem festum cum Atticorum Thesmophoriis comparavit et eodem mense, Atticorum Pyanepsione, Boeotorum Damatrio, Cereri dedicato (Bischoff: Leipz. Stud. 7, 343) actum esse tradidit. Quo mense cum brumalia sementa fieri solerent, deam initio agriculturae favendi partes habuisse intellegimus.

Dein lapide in Liberi theatro reperto Achaeae Cereri, quam a Gephyraeis Athenas translata ibi amplissimam fuisse notum est, alterum cognomen *Κουροτόφος* inditum esse cognoscimus. Hoc igitur loco plura, ex quibus illam deam antiquis iam temporibus matrimonio et liberis educandis praefuisse concluditur, afferre iuvat, cui aliud quoque cognomen Eleusinae dabatur. Quod cognomen, cum ab Eleusine voce tractum esse plerique viri docti censerent, Preller vel omnes Eleusinae deae cultus, qui in Peloponneso maxime reperiuntur, ex Eleusinio Cereris fano translatos esse contenderet, Toepffer (Att. Gen. p. 102; 221; 246 sq.; 299) saeculis, quae erant ante Dorum incursiones, illos cultus per totam Peloponnesum, donec ab eis (cf. Herod. 2, 171) oppressi essent, floruisse Cereremque Eleusiniam Peloponnesiorum et Plataeensium (Paus. 9, 4, 3) eandem atque Achaeam, quae a vetustioribus Boeotiae incolis in honore habebatur, fuisse demonstravit (cf. Wide: Lakon. Kulte p. 175 sq., Roehl: I G Ant. 79), quibus argumentis allatis Prelleri opinio refutata esse mihi videtur. Quod vocabulum cum ab eadem stirpe atque *Εἰλειθῦνα* derivandum sit, optime ad eam explicationem, quam de Cerere, fertilitatis et matrimonii dea, dedimus, quadrat et cum Cerere quae Athenis *Κουροτόφος* vocabatur conferri potest. Quibus rebus absoluit quomodo veneratio instituta sit, quaeramus. Itaque cum Plutarchus inter se Cereris Achaeae et Thesmophori dies festos comparaverit, eos propinquos fuisse et, cum Athenis viris ad Thesmophoria aditus non esset (cf. Aristoph. Thesmoph.), ne ad Achaeae quidem festum viros admissos esse verisimile est. Caerimoniae vero antiquissimae ex luctibus et querellis a rusticis ob fertilitatem naturae autumno quasi morientem institutis natae esse videntur, unde etiam personas matris et filiae nec aliter raptus fabulam ortas esse mihi persuasum est. Sed ubi Proserpina Cereris filia facta est, omnes ritus et fabulae ut a raptu ita a narra-



tionibus, quae inde originem duxerunt, repeti solebant. Itaque ex luctu brumali, qui ad naturam morientem respicit, hymnus ille Homericus venustus ortus esse videtur. Quam ob rem Achaeae cognomen postea falso explicatum esse, praesertim cum Plutarchus Achaeae Cereris diebus festis Proserpinae raptum a mimis repraesentatum et τὴν ἑορτὴν ἐπαχθῆ appellatam esse tradiderit, non miramur. Neque vero is Cereris cognomen, sed diem festum cum voce ἄχος contulit per tristes caerimonias celebratum. Idem tradere pergit: τὰ τῆς Ἀχαιῶς μέγαρα κινεῖν. Sed cum nimis pauca de Boeotorum festis acceperimus, ad festum Atticorum, qui illi respondet, Thesmophoriorum dico (Preller: l. c. p. 337 sqq.) confugere haud scio an liceat. Cereris enim τὰ μέγαρα easdem res, quae aliis locis βάραθρα aut χάσματα appellantur, significare (cf. Rohde: *Psyche*<sup>1</sup> 1, 109) comperimus, quas per fauces Pluto Proserpinam raptam secum ad umbras duxisse (Welcker: *Gr. Goetterl.* 1, 361) dicebatur. Lobeck (*Aglaoph.* 831) de Cereris specubus tonitribus artificiosis concussis hoc loco agi, ita ut τὰ μέγαρα κινεῖν significaret = sacra movere, quibus rebus mare et montes in filia rapienda sonantes adumbrarentur, arbitratus est. Hoc autem loco de angustiis cuiusdam templi, qui locus propter fabulam ad delubrum exstruendum aptissimus (cf. *Wide* p. 179) erat, agi<sup>1</sup> apparet. Quae fauces in ritibus deae sacris aliquid discriminis, quoniam Potniis per angustias sues, quippe quae pro fertilitatis (Preller: *Gr. Myth.* p. 384) symbolis haberentur, demittebantur, habuisse videntur.

Sed priusquam plura de Achaea Cerere verba faciam, de Graiae cognomine agere operae pretium videtur, quod cognomen non minus quam illud falso explicatum esse manifestum est. Qua in quaestione a Graiorum natione, quae antiquiore aetate Asopi valles incoluit et nescio an Euboeam quoque, cum Gephyraei, qui a nonnullis viris doctis Graiorum pars putantur, inde oriundi esse videantur et Euboei eadem dialecto usi sint atque Grai (Wilamowitz: l. c.) proficiscendum est. Nec dubito eos Achaeorum genti, qui in septentrionali Graecia habitaverunt, a progredientibus Ionibus primum ex Euboea, tum a Boeotis Aeoliis ex Parasopia repulsae adnumerare. Graios antiquioribus coloniis deducendis interfuisse Neapolis et Lesbi fabulae, cum hic reperitur heros Γραῖς, illuc *Ἐννοσιδαί* pagus fuerit, quod nomen ab Eunosto, Tanagraeae regionis heroe repetitum est, docent. Cuius nationis Ceres Achaea vocabatur erat a gente universa, a Graiorum natione peculiariter Graia, ita ut cognomina illa duo eodem pertineant. At huic Cereris cognomini Graiae idem quod Achaeae accidit, ita ut aetate recentiore artificiose atque falso explicaretur. Nam cum in hymno Homérico et vulgari fabula Ceres ornatu divino deposito Olympoque relicto sub anus specie filiam quaesitura per terras errasse traderetur, Γραῖα vocem, ita ut pro Γεραῖά formam Γραῖα correptam ponerent, explicuerunt. Cui deae sub anus specie celebratae re vera in Boeotia aliquot delubra dedicata erant, ubi fabulae illae de dea a Celeo recepta, de Demophonte filio educato postea Eleusina translatae narrabantur (Gruppe: *Gr. Myth.* p. 50).

Nec aliter atque Cereris Graiae cognomini accidit, eidem Iphigeniae epitheto in illis Lycophronis *Alexandrae*<sup>2</sup> versibus evenit, in quibus illustrandis iam Tzetzes per errorem Iphigeniam in anum conversam esse adnotavit. Quam virginem hoc modo mutatam esse cum a scriptoribus non accepimus tum fieri non potuit, ut puella annorum quinque spatio anus fieret. Recte Wilamowitz (*Hermes* 18, 256) Iphigeniam Graiam vocatam esse iudicavit Aulide,

<sup>1</sup>) cf. Eustath. ad. *Odyss.* p. 1387, 17: ἰδικῶς μέγαρα κατεῖγια οἰκήματα τῶν θεῶν ἤγουν Δήμητρος καὶ Περσεφόνης.

<sup>2</sup>) 195 sqq.: καὶ τὴν ἄφαντον, εἶδος ἠλλοιωμένην  
Γραῖαν σφαγείων ἠδὲ χειρῶν πέλας  
"Αἶδου τε παφλάζοντος ἐκ βυθῶν φλογί] κρατῆρος

quae *Γραικῆς* regionis urbs erat, mactandam. Atque Lycophron, ut est scriptor obscurissimus, legentes iudificaturus, sicut in versu 326 scripsit: *ἦν εἰς βαθείαν λοιμύσας Ποιμανδρίαν ζάισει*, quoniam Poemandria Tanagra appellabatur, eam scripturam praetulit (cf. Holtzinger: Lycophron adn. 195; 326).

Si quaeremus, quo loco Cereris fanum situm fuerit, testimoniis Herodoti (5, 61) et Pausaniae (9, 22, 2) collatis Tanagraeos regionem, ubi superos adorabant, a profanis rebus secrete, ita ut loco edito procul ab hominum domiciliis sacra exstruerent, perspicimus. Athenis enimvero Gephyraeorum sacra, quorum Achaeae Cereris amplissima erant, secreta fuisse a ceteris Atticorum sacellis accepimus. Ibi, cum sacra illa peregrinorum initio in honore habita sint tantummodo a Gephyraeis urbe receptis Herodoto teste (l. c.), postea eius deae celebrationem floruisse ab Aristophane discimus. Ex eodem loco non solum eos sacra adisse, qui ab illa gente originem duxerunt, sed illum cultum publicum Atheniensium factum esse, quod etiam ex illo Liberi theatri titulo concluditur, apparet. Toepffer (l. c. p. 299) enim, ex quo tempore Hipparchi interfectores ex illa natione oriundi instar deorum (Paus. 1, 8, 5) celebrati sint, sacra illius nationis, imprimis Cereris, publica facta esse putat. Itaque ut terminus eius rei statuatur, de aetate quae fuit inter Herodotum, qui sacra a Gephyraeis tantum adiri noverat, et Aristophanem cogitandum erit.

Vidimus igitur Cererem Achaeam antiquioribus temporibus per maiorem Boeotiae partem, recentioribus Athenis, Thespiis, Plataeis amplissimam fuisse. Tamen nobis est, cur miremur nullum exstare testimonium, ex quo historicis temporibus illam deam Tanagrae cultam esse conciat. Sed cum ne Pausanias quidem Tanagraeorum sacellis perlustratis quicquam de Cerere tradiderit, aut fanum deae non in regione sacra situm fuisse verisimile est aut omnino non fuisse. Quae lacuna nuper demum lapide quodam Tanagraeo, quem Reinach inter thesauros clarissimi Parisiensis musei repperit, publici iuris facto repleta est (cf. *Revue des études Grecques* 1899, 53—115).

Cardo autem quaestionis ea in re vertitur, spectetne ille titulus ad Cererem Achaeam an ad aliam Cereris formam aliunde receptam. At, ne longus sim in ea re de qua agitur exponenda, verba lapidis gravissima afferenda puto: *Ἐπιδὴ μαντιομένης τᾶς πόλιος οὐπὲρ τῷ ἱερῷ τᾶς Δάματρος κῆ τᾶς Κόρας, πότιρα κῆ αὐτὶ ἱαόντις Ταναγραῆς καθὰ κῆ νοῦν ἐπὶ τὸ βέλτιον ἔσσειη*

*ἢ μεταφερόντις ἐν τὸν τόπον τὸν τᾶς Ἐθαμερίας εἰ ἐν πόλιν.*

*ὁ Ἀπόλλων ἔγρεισε „θιάς πρὸ φατίδας σιφάνν δέκεσθη*

*ἐπ' ἀγαθῷ θάλλοντις κῆ οὔτι ποίμεν εὐχομένως αὐτῆς*

*τῆς θιῆς.“ ὅπως ὦν κατασκευασθεῖη τὸ ἱερόν τᾶς*

*Δάματρος ἐν πόλι ὅτι κάλλιστον . . . .*

Liceatne Cereris Achaeae venerationem extinctam esse contendere, ubi primum Gephyraeorum natio Tanagra decessit, ut Reinach (p. 83) censuit, valde dubito. Multo aliter res se habuisse videntur, cum per longum temporis spatium de Parasopia a vetustioribus illius regionis incolis et Boeotis progredientibus decertatum esse verisimillimum sit. Quas res ita se habuisse, si nobis persuaserimus, multo dilucidiores Boeotae res existent, ut Plataenses et Thespienses non sine causa a Boeotorum Aeoliorum foedere abhorruisse et ab Atheniensium partibus stesisse intellegamus, quippe qui a Graeis ab Aeoliis oppressis originem duxerint. Quibus urbibus, cum ab Atticis propinquis subventum sit, eas recte semper cum Atheniensibus fecisse facile perspicitur. Contra Tanagram, postquam ab Aeoliis capta est, iam exeunte saeculo VI. Boeotiam factam esse ex Corinnae (Paus. 9, 22, 3; Bergk: P. L. Gr.) carminibus discimus. Inde, etsi plerique incolae patriam reliquerunt et recepti sunt Neapoli et Lesbi et Athenis, reliquias tamen quasdam



in difficilioribus regionibus, ut fieri solebat, remansisse nec cultum deae peculiariter adoratae extinctum esse sequitur. In titulo allato de Cereris et Proserpinae templo in urbem transferendo agitur. Nam Apollo, quem deum Tanagraei, cum dubitarent, utrum fanum priore loco restituerent an novum Euameriae loco qui dicitur an intra urbis moenia exstruerent, consuluerant, iis ut in urbe delubrum aedificarent, mandaverat. Quo ex titulo sacrum nondum in urbe situm fuisse neque Euameriae loco stetisse manifeste apparet. Sin autem loco a Pausania descripto (9, 22, 2) sacellum situm fuisset, cur eodem Tanagraei restituendum non curarent, non viderem, quem Reinach (p. 84), quo facilius res procederent, cum Euameriae regione congruere putavit. Illo igitur loco delubrum, quippe quod Pausanias in sacris perlustrandis non enumerarit, situm fuisse negandum est et quodam alio fuisse sequitur. Huc bene accedit, quod prope Matris deorum fanum non procul a vico Mustaphades in Tanagraea regione (Koerte: Mitth. d. Athen. Inst. 3, 388 sqq.) situm cum ruinae templi exigui, quod Cereris fuisse Koerte coniecit, tum simulacrorum fragmenta, ex quibus utramque deam repraesentatam fuisse (p. 393) una cum Aesculapio et Hecate evincitur, repertae sunt. Fieri potest, ut fanum illud cum eo titulo conferatur et deas illas initio a Graeis, qui remanserant, cultas esse, tum autem a Tanagraeis Aeoliis celebrationem publicam factam esse putemus sicut Athenis. Quae ratio nobis considerantibus ea in regione, quam Koerte descripsit, antiquioribus temporibus cum domicilia tum speculam sive castellum ex saxis polygoniis in summa regione exstructum fuisse, fulciri videtur. Reinach (p. 67; 82 sq.; 89) titulum ad Cererem Achaeam, propterea quod Ceres ea, de qua in titulo ageretur, peculiaris feminarum dea esset ut Thesmophorus, pertinere negavit. Cui viro doctissimo cultum hunc recentissimum et aut Thebis aut Athenis posteriore aetate receptum esse persuasum est. Neque vero Reinachii argumentum, cum Achaea non aliter atque Thesmophorus feminarum peculiaris dea fuerit, recte se habere concedo. Nihilo setius, quoniam templum illud exiguum cum lapide conferre licet, ipsum sine vi titulum ad Achaeam Cererem referre confiteor. Congruere enim templum collapsurum (Reinach) et collapsum (Koerte) arbitror. Neque vero iam, cui Cereris formae fanum consecratum sit, accuratius inquirere iuvat, praesertim cum in inferioris fragmenti v. 43 (p. 73) crux occurrat: [ἐπι] τὰν κατασκευὴν τῶ ἱερῶ τᾶς Δάμ[ατρος?] (τᾶς Δάματρος) καὶ τῆς Κόρας κατὰ τὸ ψάφισμα conieci: τῆς Ἀχαιῆς. Hac in quaestione quod titulus eo potissimum loco, qui nobis de cognominibus deae quaerentibus videtur gravissimus, lacunam exhibet, dolendum est. Neque vero, ut aliud quicquam nisi cognomen deae propter Proserpinae nomen sequens legatur, fieri potest. Attamen cum in eo, ut quaeramus, quid praeterea in lacuna scriptum fuerit, simus, Reinach, ne suppleret · χαιῆς, dittographiam · ἀματρος, ut pro τᾶς Δάματρος τῆς Ἀχαιῆς = τᾶς Δάματρος τᾶς Δάματρος conficeret, praetulit. Sed cum in contextu non modo non τᾶς A legatur, sed littera ultima ne certa quidem sit, A vel A vel A subesse potest. Huc accedit, ut Cereris nomen iam antea legatur et hoc loco cognomen poscatur. Cuius deae cognomina si perlustraverimus, nullum esse littera A incohatum (Λεργαία Paus. 2, 36, 7, Λουσία 8, 25, 6; 7), quod hoc loco placeat, cognoscemus. Unum autem cognomen A littera incohatum Δηώ, de quo iam tractavimus exstat. Itaque, si nobis inter deae cognomina eligendum sit, Δηώ et Ἀχαιῆς restent, quae propinqua vocabula prima littera conservata commendari videntur. Deam enim eam, quam saeculo altero, quo titulus natus est, Tanagrae cultam esse accepimus, valde propinquam Atheniensium Thesmophoro eandemque Graiorum Graecae et Achaeae Cereri nobis persuasum est. Sin autem Cererem illam recentiore aetate Tanagrae adoratam Athenis receptam esse coniciamus, hoc mirum sit. Nam cum horum Thesmophorus paene cum Achaea et Graea, Graiorum Cerere, congruat, ea autem una cum Graiorum gente regione expulsa et ab Atheniensibus publice in honore habita sit, illorum Graiorum deae maxime propinquam aliunde



translatam inveniamus. Immo de priore hoc termino cogitandum est nisi rectius cultum Cereris antiquiorem non prorsus extinctum, sed paulatim restitutum et denuo publicum factum esse sumpserimus.

Restat, ut quomodo illas deas artifices Tanagraei finxerint, verba faciam. Neque vero inter eas fabulas, quae ad utramque deam spectant, ulla tam digna fuisse videtur, quae ab artificibus repraesentaretur, quam raptus narratio. Atque exstat imago Tanagraea antiquioris aetatis, quae in fastigio monumenti sepulchralis (Curtius: Abh. d. Berl. Ak. 1878, 28) conservata est. Quò in monumento scalpendo artificem imitatum esse aut Praxitelem aut Nicomachum (Plin. 35, 8, 19; 10, 36) nobis persuasum est, nisi raptum ab illis artificibus fictum recentioribus quasi amissum fuisse (Preller l. c. 86 sq.) putemus. Media in illa imagine Plutonis constitit currus, quem ille sinistra tenens Proserpinam resistentem et manus porrigentem conscensurus est. Atque succurrunt deae venustae cum virgines tum mater corona ornata et a sinistra parte appropinquant Minerva et Diana, si illas feminas in imagine repraesentatas interpretari licet hoc Euripidis adhibito (Hel. 1314) versu: *μετὰ κοῦραι ἀελλόποδες, ἃ μὲν τόξοις Ἄρτεμις, ἃ δ' ἐν ἔγχρῃ Γοργὸν πάνοπλος*. Inter ceteras sinistri lateris figuras de nymppha in herbam strata, quae plerumque Nysa, Tanagraeae regionis nymppha peculiaris putatur, disceptant. Quae quod in illo monumento adumbrata est, mihi eam ob rem factum esse videtur, ut ea fabulae forma, quae recentiore saltem aetate a scriptoribus narrantibus Proserpinam in illa regione raptam esse tradebatur, fulciretur (Plut. de Is. et Os. 69). In averso fastigio Leucippidum raptum, quippe qui ad monumenti priorem imaginem non solum quadret similibus rebus repraesentatis, sed etiam quod utraque res in illa regione narrabatur, fictum esse invenimus. Nam cum Dioseurorum fabulae sedes et Leucippidum antiquissima Aphidna et fines propinqui fuerint, in quibus Tanagra quoque sita erat (Wilamowitz: Hermes 18, 263), non sine quadam ratione in eodem lapide illas imagines collatas esse arbitror. Praeterea reperta est inter eas figuras, quae prae ceteris Tanagraeae nominantur, Ceres quarti saeculi, de qua Heuzy (Terres cuites de Louvre) egit.

#### De Diana.

Quaecumque quomodo Tanagraei cum Dianam urbanam cum fratre et matre consociatam tum Deliam eodem modo cultam venerati sint, afferri poterant, in Apollinis celebratione<sup>1</sup> tractanda versatus iam absolvi. Sed de Diana Delia insuper hoc Thucydidis<sup>2</sup> afferendum censeo. Homochetae daemones Hesychio teste idem atque *οἱ συμμετέχοντες τῶν αὐτῶν σπονδῶν ἢ δημοβόμια καὶ δμόναοι*, scholiasta hoc locum interpretato *συμμετέχοντες τῶν αὐτῶν ναῶν καὶ τῶν αὐτῶν ἱερῶν* significant. Quod adumbravisse Pausanias quoque, cum scripserit (9, 20, 1): *καλούμενον Δήλιον· ἐν δὲ αὐτῷ καὶ Ἀρτέμιδος καὶ Λητοῦς ἐστὶν ἀγάλματα*, mihi videtur omisso Apollinis nomine.

Sed etiam aliae Dianae formae in Tanagra urbe celebratae esse videntur. Cuius deae sacellum in urbe fuisse ex hoc titulo Tanagrae reperto, in quo *ἈRTAMIDOΣ* (C I G S 546) legitur, conicio, quem Cauer (Del. Inscr. n. 360) agri deae consecrati terminum esse contendit. Qua in nominis forma pro *Ἀρτέμιδος* scripta dialectum Boeotam pro ε exhibere a correptum videmus velut Doridem dialectum (Meister: Gr. Dial. p. 214). Nunc vero de alia Dianae forma,

<sup>1</sup>) De Tanagraeorum sacris. Quaestiones selectae p. 28 sqq.

<sup>2</sup>) 4, 97, 4: *ὥστε ἐπὶ τὸ θεοῦ καὶ ἐαυτῶν Βοιωτοῦς, ἐπικαλουμένους τοὺς δημοχέτας δαίμονας καὶ τὸν Ἀπόλλω προαγορεύειν αὐτοὺς ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἀπιόντας* . . .

de Ilithyia, agendum est. C I G S 555: *AΘΑΝΙΚΚΕΙ ΑΙ ΜΝΩ ΑΡΤΑΜΙΑΙ ΕΙΛΑΙΘΙΗ* Dittenberger dissecuit: *Ἀθανίκει Αἰωνώ Α. Ε.*, Blass: *Ἀθανίκεια Ἰωνώ Α. Ε.* (cf. Sat. philol. G. Sauppio oblata p. 126). Quae Diana, quippe quae veluti Aulidia vitae naturali praesideat, Diana Ionia antiquior fuisse videtur. Neque vero tantum Tanagrae ista Diana Ilithyia cognominata sed etiam tota Boeotia celeberrima fuit. Nec mirum etiam Artemidori nomen tam frequentissimum fuisse et in illo lapide mulieris dedicationem infuisse (cf. Anth. Pal. 201; 271) verisimile est. Eandem deam mulieres utero laborantes, quae se audiret et leto adimeret, ut ex epigrammate (Anth. Pal. 274) accepimus, invocabant. Cui deae alia, quae prae ceteris *Κουροτόφος* aut *Σώτειρα* appellabatur, propinqua esse videtur. Neque enim solum mulieres, sed etiam totam iuventutem, virgines et adulescentes promiscue tutari dicebatur teste Callimacho (Dion. 125): „Irascente Diana pecora fame pereunt, segetes laetae grandine, vigent quadrupedes, segetes, liberi favente.“ Quo factum est, ut Apaturiorum diebus festis Athenis ei iuvenum coma et ante nuptias virginum offerretur. Quocum more — neque enim solum coma ante nuptias, sed quibuscumque rebus virgines usque ad illud tempus gaudebant, offerebantur — Diehls (Excursions en Grèce p. 374) imagunculam Tanagraeam, qua virgo repraesentata est, contulit. Quam ad icunculam illustrandam epigramma, quod Anth. Gr. 6, 280<sup>1</sup> fuisse videtur, adhibuit. Quod epigramma, etsi Tanagraeum non est, ad rem bene quadrat. Itaque Diana dea nuptialis, qualem artifices facem dextra tenentem repraesentarunt, facta est.

Denique deae illius naturalis imagines ut frequentissimae ita venustissimae exstant, quarum unam Kekulé (Terrakotten aus Tanagra tab. 17) inter figuras Tanagraeas quae dicuntur publici iuris fecit: Diana venatrix a parte sinistra fulcitur trunco, cum de umero dextro pharetra pendeat. Induta est Dorum chitone et himatio, quod cum umerus dexter tantum chitone vestitus nudus sit, a sinistro latere usque ad solum pendet. Cerva, quae deam comitari solet, a parte sinistra stat adspiciens dominam. Quam figuram non solum ex artificis ingenio natam, sed eandem repraesentatam esse, qualem populares deam virginem venustam animo sibi finxerint, mihi persuasum habeo.

Restat, ut de Aulidia Diana agamus. Ac primum quidem cur haec cum urbana et Delia coniungenda sit, quaeramus. Accepimus enim a Strabone<sup>2</sup> et Pausania<sup>3</sup> recentiore aetate Aulidem Tanagraeorum fuisse et eos pro Aulidis incolis pauperrimis Dianae fanum olim celeberrimum perrexisse conservare et deae favorem, cum ab Heraclide (Ps.-Dicaearcho) πάντων τῶν Ἑλλήνων θεοφοβώτατοι indicati essent, in se convertere. Neque vero quicquam Tanagraeos deae cultum in urbem transtulisse, id quod Wernicke (Pauly-Wissowa: Artemis) et Gruppe (p. 73) statuerunt, traditum est neque ex hoc titulo<sup>4</sup> conici potest. Neque enim aliud quicquam nisi Tanagraeos operam dedisse sacro celeberrimo, cum ipsorum esset, conservando, ita ut dona mitterent ad sacra faciunda et sacerdotes instituerent concludimus. Quodsi Aulidiae deae cognomen in Tanagraeis titulis obvenit, dea, ne haec cum variis urbanae Dianae formis confunderetur, ita est appellata. Varias enim illas formas, cultus, collegia discernere opus erat. Ex iis vero

<sup>1</sup>) Τιμαρέτα πρὸ γάμοις τὰ τέμπανα τὴν ἑξαετήριον σφαῖραν, τὸν τε κόμας ὄντορα κεκρόφαλον τὰς τε κόμας . . . ἄνθετο . . .

<sup>2</sup>) 9, 2, 5; 8: (Θῆβαι) . . . μέχρι εἰς ἡμᾶς οὐδὲ κόμης ἀξιολόγον τύπον σόζουσι· καὶ αἱ ἄλλαι δὲ πόλεις ἀνὰ λόγον πλὴν Τανάγρας καὶ Θεσπιῶν . . . εἶθ' ἡ Ἀλλίδι περιῶδες χωρίον καὶ κόμη Ταναγραίων. 9, 2, 25: νυνὶ δὲ μόνη συνέστηκε (Θεσπιαί) . . . καὶ Τάναγρα· τῶν δ' ἄλλων ἐρεπία καὶ ὀνόματα λέλειπται.

<sup>3</sup>) 9, 19, 8: ἄνθρωποι δὲ ἐν τῇ Ἀλλίδι οἰκοῦσιν οὐ πολλοί, γῆς δὲ εἰσιν οἶτοι κεραμεῖς· νέμονται Ταναγραῖοι ταύτην τε τὴν χώραν καὶ ὄση . . .

<sup>4</sup>) C I G S 565: ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος Ὀλυμπίην Ἁγίον θυγατέρα ἱερατεύσαν Ἀρτέμιδι Αὐλιδίᾳ.



testimoniis, quae attulerunt Pausanias<sup>1</sup>, Dionysius Calliphontis filius<sup>2</sup>, Plinius<sup>3</sup>, anonymus (Scymnius Chius)<sup>4</sup>, Proclus<sup>5</sup>, templum commemoratum esse a Pausania, Dionysio, Plinio videmus. De fani antiquitate Plinius et Dionysius, cum hic delubrum ab Agamemnone, ille vel saeculis ante bellum Troianum exstructum esse tradiderit, minime edocti esse videntur, praesertim cum illis remotissimis temporibus templa omnino non fuerint. Atque potuit carere, quippe quae dea alias res haberet, quibus laetaretur et quae magis ad eius naturam quadrarent, primis temporibus aede. Quibus de rebus legimus (Eur. Iph. in Aul. 1464 sq.):

πατρός δ' ὀπαδῶν τῶν δέ τίς με πεμπέτω

Ἄρτεμιδος εἰς λειμῶν', ὅπου σφαγήσομαι,

1540 sq.: ἐπεὶ γὰρ ἰκόμεσθα τῆς Διὸς κόρης

Ἄρτεμιδος ἄλλος λείμακας τ' ἀνθεσφόρους,

(Paus. 9, 19, 7) πηγὴ παρ' ἣν ἡ πλάτανος ἐπεφύκει, quae res Dianae non aliter atque nymphis consecratae erant. Nunc pergunt quaestio ad statuam utramque; altera facem tenet, altera praebet deam venatricem arcu et pharetra ornatam. Stoicorum explicatio, qui sagittas lunae radios significare ideoque deam ut Selenen repraesentatam esse arbitrati sunt, iam diu refutata est. Statuam vero utramque ad artificum clarissimorum opera respicere, quoniam primus Praxiteles deam face, arcu, pharetra ornatam comitante cane, ut Anticyrae nummi docent, Strongylio utraque manu singulas faces ferentem, qualis Megaris expressa erat, repraesentasse dicitur, cognovimus. Quamquam symbola deae addita fax et arcus inter se repugnant, tamen antiquitus symbola coniuncta esse animadvertimus. Nec difficile ad intellegendum videtur Aulide quoque artifices utrumque praeclarum artificem imitatos esse, ut nummi<sup>6</sup> docent. Itaque cum nummi imagines deorum in sacris institutas praebere soleant, quin altero nummo non Tanagraeam deam, cui Wernicke nummum attribui voluit, sed Aulidiam repraesentatam esse, ad quam id Euripidis (Iph. Taur. 21): εὖξω φωσφόρον θύσειν θεῶν referre licet putem, facere non possum. Alterum vero nummum ad statuam in urbe aut Deli adoratam, quippe quae dea pro arcu, quem Aulide gerere dicebatur, iaculum manu teneat, respicere verisimile est.

Si de ritibus sacris agemus, Pausaniam testimonium ex duobus diversis fontibus contaminasse perspicimus. Quorum si alterum sequimur, Iphigenia mactata esse traditur, ut Diana deposita in patrem ira Graecorum classi ventum secundum mitteret. Prorsus alia verba

<sup>1</sup>) 9, 19, 6: ἐστὶν Ἀλλίς· γὰρ δὲ Ἄρτεμιδος εἶναι ἐνταῦθα καὶ ἀγάλματα λίθου λευκοῦ, τὸ μὲν δῆδας φέρον, τὸ δὲ εἶκοι τοξευούση· φασὶ δὲ ἐπὶ τοῦ βωμοῦ μελλόντων ἐκ μαντείας τῆς Κάλχαντος Ἰφιγένειαν τῶν Ἑλλήνων θύειν, τὴν θεὸν ἀντ' αὐτῆς ἔλαφον τὸ ἱερὸν ποιῆσαι . . . λέγεται δὲ ὡς ἐν Ἀλλίδι πνεῦμα τοῖς Ἑλλήσιν οὐκ ἐγένετο ἐπίφερον, φανέντος δὲ ἐξαιφνης ἀνέμου σφίσι οὐρίον θύειν τῇ Ἄρτεμιδι οὐκ ἕκαστος εἶχε, θήλειά τε ἱερεῖα καὶ ἄρσενά ὁμοίως· καὶ ἅτ' ἐκεῖνον διαμεμένηκεν ἐν Ἀλλίδι πάντα τὰ ἱερὰ δόκιμα εἶναι.

<sup>2</sup>) 85/93: εἶπεν Ὀρωπὸς πόλις καὶ τῆς θαλάττης ἀπέχον ἱερὸν οὐ πολὺ ἐστ' Ἀμφιαράου καὶ νεὸς καὶ τὸ τέμενος Ἀλλίς τε Βουωτῶν πόλις, πρὸς ἣν λιμὴν καὶ Ἄρτεμιδος ἱερὸν ἅγιον, ὃ λέγεται κτίσαι Ἀγαμέμνον' . . .

<sup>3</sup>) N. H. 16, 216: super omnia memoratur aedis Aulide eiusdem deae saeculis ante Troianum bellum exaedificata, quoniam genere materiae, scientia oblitterata.

<sup>4</sup>) 849/57: τοῦτον εἰς τόπον τινὲς τῆς Ταυρικῆς λέγουσιν ἀφικέσθαι ποτὲ κλαπεῖσαν Ἰφιγένειαν ἐκ τῆς Ἀλλίδος.

<sup>5</sup>) p. 19 Kink cf. Rohde: Psyche<sup>1</sup> p. 79: Ἄρτεμις δὲ αὐτὴν ἐξαπάσασα εἰς Ταύρους μετακομίζει καὶ ἀθάνατον ποιεῖ, ἔλαφον δὲ ἀντὶ τῆς κόρης παρίσθησι τῷ βωμῷ.

<sup>6</sup>) Mionnet: Suppl. 3, 521 n. 102; 103 R.: TA Diane marchand; n. 110; 111 R.: TA Diane chasseresse, marchand, à droite, tenant de la main droite levée un javelot, et de la gauche un flambeau, à ses pieds un chien. Imhoof-Blumer, Num. Ztschr. 9, 29, n. 104; 105 R.: TANA Rechtshin schreitende A. mit beiden Händen eine brennende doppelte Fackel vor sich haltend. Sie trägt Flügelschuhe. Brit. Mus. Boeotia p. 66, n. 60 R.: TANAIPAIQN. Distyle temple, within which statue of A. r. on basis, wearing short chiton and endromides, and carrying a torch in each hand, before her a lighted altar. Paus. 9, 19, 6.



facere Pausanias tum pergit, cum tradit: diu Graecos non ventum idoneum nactos esse et cum subito coortus esset, quodcumquē cuique fuisset, ab illis deae immolatum esse. Quo in testimonio non occurrit Diana regi irata neque virgine mactata placata. At quas tradidit Pausanias caerimonias, a Dianae Amarysiae cultu repetitae sunt. Itaque cum omnes victimae inde ab illa aetate usque (9, 19, 7) incundae fuerint Aulide, Wernicke et Wilamowitz (Hermes 18, 256 sqq.) eam deam esse Dianam Colaenin Amarynthi celebratam arbitrantur, quae ab Euboeae urbe Amarysia erat cognominata. Cuius Dianae religio circum Euripi litora ex Euboea translata floruit. Inde cum Amarysia Diana Brauroniae Braurone celebratae deae nec minus Brauroniae in Athenarum arce cultae propinqua fuerit, hanc venerationem vetustam fuisse (Paus. 1, 31, 4; 5; 1, 23, 7; 33, 1) apparet.

Nunc vero quid vere Iphigenia eademque virgo mactanda significet quaeramus. Ac primum in ea fabula Dianam mortiferae deae munere functam esse, qualis semel atque iterum culta dea occurrit, statuendum est. Cui deae quin re vera homines mactati sint, non est dubitandum, nec solum vetustissimis temporibus, quibus propter mores nimis rudes ea res minus miranda erat, sed vel qua aetate humanitas coli solebat, veluti Iovi Lycaeo Arcadum et Libero Orchomenio homines sacrificabantur, quae caerimoniae crudelitatis plenae usque ad postremam aetatem manserunt. Cur tales iniqui ritus non prorsus et tantum sensim discesserint, ut caerimonia quadam succedente adumbrarentur, inde perspicitur quod quodam casu fieri non potuit, ut superiorum ira aliter atque humana hostia placaretur. Iphigeniam initio non fuisse Atridae filiam, sed Dianam ipsam Iphigenia nomine cognominatam, propterea quod ei cum Lacedaemone arae institutae erant tum Hermionae (Paus. 2, 25, 2) sacra amplissima erant, manifestum est. Ideo nautis per Pontum Euxinum iam vetustioribus temporibus veluti Milesiis navigantibus, cum in Chersoneso Taurica deae virgini homines immolari cognovissent, illius rei nuntium in Graeciam delatum esse arbitror. Quippe quae dea nautis referentibus tantum cum Diana conferri posset, fieri non potuit, quin sensim ea dea eadem atque Diana ubique terrarum putaretur. Aulide, cum inde a remotissimis temporibus Dianae, cui Iphigenia cognomen erat, ut erat dea nuptialis et natalis, puellae mactatae sint, illas hostias mortiferae deae, ut universis mulieribus faveret et morti adimeret, non aliter atque Brauroniae Dianae oblatas esse negari non potest. Postea vero Braurone pro virgine ursam, cervam Aulide hostiam factam esse accepimus. Sed ubi casu Aulidae venerationem cum deae Tauricae cultu coniunxerunt, praesertim cum utriusque celebrationi multae proprietates communes inessent, Graecos qua erant cogitatione, eas res, quae utriusque fabulae inerant similes, non fortuito propinquas esse, sed arte inter se cohaerere animo sibi finxisse non miramur. Cui fabulae Iphigeniam, ita ut hanc Lacedaemoniorum deam divina dignitate deposita Agamemnonis filiam factam esse fingerent, regis illius una cum Graecorum classe Aulide retenti addiderunt. Quae res ut haberet, cur accidisset, regem deam ad iram incitasse tradiderunt. Quomodo Dianae animum laeserit, fabulae, quippe qui vel cervam deae sacram cecidisse vel iusiurandum fregisse dicatur pollicitus se pulcherrimum anni fructum immolaturum esse, dissentiunt. Quae res quamquam inter se repugnant, minoris momenti esse censeo. Itaque cum Aulide celebraretur dea nuptialis, Iphigenia autem Lacedaemone Diana cognominata eodem munere fungeretur, deinde in Tauris propinqua deae virgines a virgine mactarentur, Iphigeniam humana specie indutam Aulide ad Tauros translata esse ibique divinam speciem a Diana recepisse prodiderunt. Quo factum est, ut Iphigenia, primo ipsa virgo mortalis mactanda, sacerdos deae fieret. Primus Stasinus in Cypriis Iphigeniam immolatam esse tradidit, quae fabulae a posterioribus velut Stesichoro et Euripide talis ficta est, qualis per saecula pervolgabatur.

Denique in titulo (C I G S 963): ... Ἀρτέμιδι Ἀλλίδι σοτείῳη ... , etsi dea non raro homines sanavisse dicitur, deae cognomen quippe quod formam Ioniam praebeat, ex aliquo epico carmine Kaibelio teste sumptum esse et a nostra quaestione procul habendum esse arbitremur.

#### De Magnis deis.

Quamquam duobus sacris exceptis in continenti Graecia illis diis sacella non videntur fuisse, tamen, cum illa fana Boeotia fuerint, ea tota Boeotia amplissima fuisse, ut vestigia delubri Thebani (Paus. 9, 25, 5—10) a viris doctis Germanis nuper detecti docuerunt non mirum est. Quoad in singulis Boeotiae urbibus dei Thebani et Anthedonii (Paus. 9, 22, 5) celebrati sint, certe evinci non potest. Cognomina autem quaedam in lapidibus reperta illos cultus quandam vim in nominibus dandis habuisse docent. Sic exhibet lapis Tanagraeus (C I G S 538) cognomen *Καβίσιος* et lapides Thebis, Chaeroneae, Thisbae reperti (C I G S 2294; 2253; 2599; 2778; 3197; 3300) praebent *Καβίσιχος* et *Καβισεῖνος*. Denique quod valde mirum est, titulus Tanagraeus (C I G S 1651), in quo inerat dedicatio, nomen praebet dei tantum alterius: *Κάβισος*, ut titulus Anthedonius quoque a naufrago consecratus.

#### De Dioscuris.

Hi dei iam Indogermanorum fuisse videntur, quippe quod nominis formis = scr. diva *napātā* = aequina (equus) adumbretur, cum ipsi olim figura equina ficti sint. Qua de causa illam religionem iam apud eos Graeciae incolas floruisse, qui ante Dores terram tenuerunt, hos autem ab illis eos deos recepisse evinci potest. Valde in honore habebantur Dioscuri inde a saeculo V. certaminibus equestribus institutis in Argivis, in Messene; non minus in conterminis Boeotiae et Atticae finibus, in Asopi vallibus, in Diacria circum Rhamnunta et Aphidnam, ut demonstravit Wilamowitz (Hermes 18, 262 sq.) colebantur. Qua in regione dicebantur sororem Helenam liberasse raptam a Theseo et ab eius matre Aethra Aphidnae inclusam.

Clarissimum aliud factum illorum, Leucippidum raptum, in monumento Tanagraeo repraesentatum esse in eo capite, quod est de Cerere (p. 10) iam commemoravi. Praeterea iis dedicationem esse factam ex titulo (C I G S 554) valde corrupto discimus: ... *ἰόδορος Μέλανος Διοσκόροις*.

#### De Eunosto.

De Eunosto heroe Tanagraeo, cui in litore erat sacellum, uberius Plutarchus (Qu. Gr. 40) egit. Nomen ei datum esse Eunosto, quod erat educatus a nymphea Eunosta, dicebatur. Quomodo ille, ut honestus et pudicus, insidiis Ochnae virginis amore eius captae, sollicitatus ad concubitum, sed aversatus mulierem interisset, Plutarchus secutus Myrtin poetriam enarravit, quae Anthedonia fabulas patriae carminibus celebravit ut Corinna aequalis. Utramque dignum est, quod commemoretur, certamen habuisse cum Pindaro aequali, ac Corinnam quidem Pausania (9, 22, 3) teste: *ταυτὰ μὲν κεφαλὴν ἢ Κόρινα ἀναδουμένη* (statua Tanagraea) *τῆς νίκης ἕνεκα ἦν Πίνδαρον ἄσματι ἐνίκησεν ἐν Θήβαις*, et Myrtin secundum Corinnae frgm. 26 (Bergk: P. L. Gr.): *Μέμφομη δὲ κῆ λυγουρὰν Μουρτίδ' ἰόγγα, οὐ βάνα φοῦσ' ἔβα Πινδάρου ποτ' ἔρον*.

Quod ob scelus mulieres Eunosti sacri et luci ingressu vel accessu arcebantur et Diocles in commentario de sacellis rettulit edictum, quod spectabat ad illud nemus (F. H. Gr. 3, 786 ed. Mueller).

Quam fabulam, quippe quam Myrtis iam cognoverit, vetustam fuisse apparet. Nec tamen singulis rebus, quae illa continentur, magna vis est tribuenda, neque explicatio illa sufficit, quae narrationi inest. Sed, quid heros ille significaverit, illa aetate non iam notum fuisse videtur. Attamen nominis forma et sacelli situ adducimur, ut eum cum Diana conferamus. Quaeritur autem, utri aetati attribuendus sit ille, eine, quae fuit ante hominum memoriam, an aetati recentiori



Aeolum. Sed heros videtur amplissimus fuisse aetate priore, cum pagus Neapolitanus Eunostidarum nomen acceperit ab illo heroe; quo id nomen ex Cyme, a Chalcidensibus Graeis adiuvantibus saeculo octavo condita translatum erat. Neque enim illi urbi condendae Chalcidenses una cum inimicis Aeolibus, sed cum Graeis verisimile est interfuisse (Wilamowitz: l. c.).

Qua re expedita quaeramus, utra cum Diana heros sit coniungendus, utrum cum Aulidia an cum Delia. Ad Tanagraeam ipsam urbanam, cum fanum in litore situm fuerit spectare non videtur. Diana enimvero Aulidia dea vetustior esse videtur et arte cohaeret cum ea Dianae forma, quae in utroque Euripi litore colebatur ut Taupolos, Colaenis, Amarysia, Brauronia; qua ex re cultum fuisse illum antiquissimum evincitur. Gruppe (p. 73) contulit cum hac Diana Eunostum. Ita enim est argumentatus: heros ille spectare videtur ad Dianam Aulidiam, quippe ex qua, ut bonum reditum pararet, petitum sit. Qua in viri docti huius argumentatione quod non minus Diana Ionum quam Delia navigantibus praesidet offendo. Neque longe distat Diana Delia ab Aulidia, quippe quae Dianae formae, de quibus supra egi, non minus Ionum fuerint quam Diana Delia. Attamen illae religiones floruerunt iam priore aetate, cum tenebant Iones Euboei Euripi litora. Contra Delia dea tum demum recepta est, cum inter Delum et Delphos artissimum vinclum factum est.

Argumentum gravissimum est hoc: pago quodam Attico (Roß: Demen Attikas p. 12) nomen fuit Eunostidarum. Unde ille acceperit nomen, non est difficile dictu, ab Eunosto scilicet heroe. Hinc sequitur herois delubrum aut in illo pago aut prope illum situm fuisse. Quicumque diligenter inspexerit tabulam geographicam, non diu dubitabit, quonam fere loco indagandus ille pagus sit. Nam cum per multa saecula Atticorum eum fuisse non constet (cf. Roß), iis in finibus, qui sunt intra Parnetem montem et Asopum videtur situs fuisse, de quibus inter Atticos et Boeotos ambiguo Marte per saecula dimicatum est, ut maxime saeculo V. Quibus rebus allatis pagum apud Aulidem non licet quaerere. Neque enim fieri potuit, ut Athenienses dicionis suae facerent terram eam trans regionem Tanagraeam sitam inimicorum finibus intermissis. Sed veri est simillimum eum situm fuisse prope Delium et Oropum.

#### De Iside et Serapide.

Postquam, quicumque in regno a Ptolemaeo rege in Aegypto condito Graeci erant, deos Aegyptios, imprimis Isidem et Osiridem colendos acceperunt, Ptolemaeus I. Alexandriae Serapidis cultum (Niese Gr. Gesch. 2, 114) instituit. Vel accidit, ut in Graecorum patriam reciperentur et transferrentur illi dei aetate recentiore et multis in urbibus amplissima veneratione fruerentur. Atque Isis tum peculiaris facta est nautarum dea. Veluti etiam Tanagrae in honore habebantur Serapis et Isis, ut discimus ex C I G S 540: „ἀγὼν Σαραπειῶν“, et ex Instituti Atheniensis vol. III. (p. 342 n. 54, 1878), ubi mulier sacerdotis veste induta Isidem adorans ficta est. Praeterea Chaeroneae, Orchomeni, Plataeis, Thebis eosdem deos celebratos esse comperimus.

#### De Iove et Minerva.

Etsi Iuppiter Tanagrae amplissimus fuisse non videtur, quippe cuius mentio vix facta sit neque ullum sacellum in regione sacra situm commemoratum sit, tamen cum titulus<sup>1</sup> docet certamen in Iovis honorem institutum fuisse tum lapis alter (n. 548) praebet nomina Iovis Mechanei et Minervae Zosteriae: [Διο]ς Μα[χ]ανεος Αθα[ρ]ας Ζω[στειρ]ίας. Quae deorum cognomina Boeotia Μαχανεύς et Ζωστειρία respondent Atticis formis Μηχανεύς et Ζωστηρία. Unde, cum deorum illorum cognomina coniuncta invenerimus, deis fanum commune fuisse

<sup>1</sup>) C I G S 530: Εικόνα τήνδ' ἀνέθηκε Φορύστας παῖς ὁ Τριάκος κήρυξ νικήσας καλὸν ἀγῶνα Διὸς ἄλλους τ' ἀθλοφόρους πναμοῖς ποσὶν ἔλλον ἀγῶνας ἐδόλβου δὲ πάτρας ἄστρ καλὸν στεφανοῖ.



concluditur. Idem ille Iuppiter ab Argivis quoque teste Pausania (2, 22, 2) colebatur, quo ex loco evincitur illum fuisse deum bellicosum. Praeterea ex nomine mensis paenultimi, qui exstat (Bischoff: Fasti Hell., Leipz. Stud. 7, 343) in fastis Corcyraeorum, Byzantiorum, Chalcedoniorum, quae coloniae a Corinthiis et Megarensibus conditae erant, Megaris et Corinthi illos deos celebratos fuisse discimus. Attamen ibi cum Iove illo coniunctam fuisse Minervam Eucleam Corcyrae et Corinthi (Xen. Hell. 4, 4, 2) accepimus. Neque cognomen id minus spectat ad bellum quam Zosteriae, cum quid illud verbum sibi vellet, Pausanias (9, 17, 3) explicuerit. Dittenberger quoque utriusque dei cognomina ad belli apparatus pertinere demonstravit (cf. adn. ad C I G S 548). Contra Toepffer (Beitraege p. 127) hanc deae formam cum Ilithyia contulit, cognomine Zosteriae collato cum Zostere promunturio Atticae, ubi Latona parturiens (Paus. 1, 31, 1) zonam dicebatur solvisse. Nam eo loco Latona, Apollo, Diana, Minerva una colebantur. Tamen hoc loco a Pausania allato desidero Minervae cognomen Zosteriae; qua in re praeterea non Minervam in illo promunturio Latonae zonam solvisse dici, sed Latonam sibi ipsam monendum est.

Huc bene accedit, quod deam in patera Tanagraea antiquioris aetatis Promachum, dextra quatientem hastam, post aram stantem, in qua capra dedicata mactatur (Journ. of Hell. Stud. 1, tab. 7), repraesentatam esse manifestum est. Nonnulli quoque nummi, quos Mionnet (Suppl. III, 521 n. 104; 105; 73 R) et Eckhel (Doctr. num. vet. 2, p. 198) descripsere, ad hanc deam spectare videntur. Attamen quamquam, ad quae exposuimus, valde nummi quadrant et *AH. TA.* in Eckheli nummo inscriptum *Ἀήλιον Ταναγραίων*, quippe quod oppidulum Tanagraeorum fuerit, significare potest, tamen Imhoof-Blumer, etsi idem vir doctissimus Minervam in Boeotia cultam esse bellicosam (Num. Zeitschr. 3, 325 n. 7 = tab. V, 1) demonstravit, cum n. 104 et 105 Tanagraeos esse nummos tum n. 73 ad Delium respicere negavit ad Aeolios Temnitas illos nummos referendos esse arbitratus.

#### De Magna matre, Fauno, nymphis.

Reliquiae aedium multae non procul a vico Mustaphades repertae et tituli dis consecrati ibi duo antiquiorum temporum sacella fuisse, quorum alterum idque maius ad matrem deorum, alterum ad Cererem una cum filia celebratam respicere videtur docent, cum ex titulo deorum matri dedicato et Caesarum aetate inciso alterum fanum huic deae consecratum fuisse manifeste appareat. Ad eiusdem deae venerationem non paucae quoque imaginum reliquiae, quas male mutilatas esse dolendum est, spectare videntur. Quae fragmenta quomodo explicanda essent, cum Koerte (Athen. Mitth. 3, 388 sqq.) et Milchhöfer (ibid. 5, 216) exposuerint, dubitandum non esse, quin dea ipsa repraesentata sit, praesertim cum eam semel atque iterum fragmentis expressam videamus conservatis sedentem in solio cum nymphis, quae eam comitari solent, manibus tympanum et facem tenentibus neque deesse puerum vinum ministrantem inde lucratur. Quibus comitibus ab artificibus ei di, qui una cum matre Magna coli consueverant, additi sunt: Iuppiter, Liber, Faunus (cf. Pindar. Pyth. 3, 73). Faunum, quippe qui (n. 168 Koerte) capite tenui et longo, non barbatus, caprinis et auribus et corniculis fictus sit, instar capri expressum esse velut etiam eum in opere fictili Tanagraeo (Arch. Z. 41, 185) capripedem sedentem repraesentatum esse cognovimus, manifestum est. Ad eiusdem dei in urbe Tanagra venerationem id quoque testimonium (Nonn. Dion. 44, 5): *Παρὶ Ταναγραίῳ θιάσους ἔστισε ποιμὴν* spectat. Denique ad matremne Magnam nummi (Num. Ztschr. 9, 29, n. 104; 105), quoniam deam corona murali ornata finxerunt veteres, respiciant valde dubito. Quae testimonia, quae inde a saeculo V. usque ad Caesarum aetatem pertinent, ubi perlustraverimus, Tanagraeos deam per longa temporum spatia veneratos esse amplissimam concedemus.

## De Narcisso.

Inter eos deos inferos, qui tantum in exiguis finibus invocabantur, Narcissus quoque commemorandus est, qui in Tanagraea regione testibus Strabone (9, 2, 10: *καὶ ἡ Γραῖα δ' ἐστὶ τόπος . . . καὶ τὸ Ναρκίσσον τοῦ Ἑρετριέως μνήμα, ὃ καλεῖται Σιγγλοῦ, ἐπειδὴ σιγγῶσι παριόντες . .*) et Eustathio (ad Odys. 1967, 36: *Σιγγλὸς μὲν κύριον ὄνομα Ναρκίσσου, σιγγλὸς δὲ ὁ σιωπηλὸς*) postquam ex Euboeae urbe Eretria (Probus ad Verg. Ecl. 2, 48) cultus translatus est, celebrabatur. Ea ex re quod iisdem fere verbis et Strabo et Eustathius usus sit, ex eodem fonte utrumque testimonium manasse sequitur. Postea vero etiam Thespiis deum cultum et fontem, qui illi pernicii erat, monstratum esse (Paus. 9, 31, 7) accepimus. Quid sibi deus voluerit, ex cognomine illi adiecto, quippe ex quo non licuisse appareat cavernam praetereuntes eum deum appellare, ne excitaretur somno (cf. Grimm: Deutsche Myth. 3, 463, n 830), deum mortis sive somniorum eum fuisse conicitur, Amphiarao simillimum, postea pro heroe celebratum.

## De Neptuno.

Neptunum cum tota Boeotia cultum esse ex Aristarchi testimonio (Etym. M. 547, 16: *ἡ Βοιωτία ὄλη ἰερὰ Ποσειδῶνος*), tum in Tanagrae quoque fabulis ei quandam vim fuisse ex aliis multis apparet. Floruit enim in illis finibus, qui prae ceteris Graeciae ad equos alendos idonei erant, equorum cultura et veneratio tutoris Neptuni *Ἰππίον* quem dicunt, quippe quem sibi figura equina indutum fingerent. Itaque utrum in Boeotis nummis equus instar dei expressus sit an equus peculiare Boeotorum nummorum insigne fuerit, quoniam in nummis longe plurimis cum Boeotis tum Tanagraeis corpus equinum modo totum modo dimidium repraesentatum invenimus dubito. Cum in urbe ea certamina equestria instituta sint, quae edita esse nonnullis nummis<sup>1</sup> adhibitis concluditur, cuius in dei honorem ludi editi sint non difficile est diiudicatu nec fieri potest, quin Hippodromius mensis Neptuno dedicatus sit. Praeterea stirpem Tanagraeam ab eo potissimum (Paus. 9, 20, 2), quippe a quo patre et Atlantis filia Alcyone matre Aethusam oriundam esse videamus, a qua nonnullis saeculis intermissis Poemander natus est, derivatam esse accepimus. Sed cum Poemandrum uxorem Tanagram, Asopi filiam, in matrimonium duxisse Corinna narraverit, Asopum vero filium Neptuni et Perus sive Celusae esse fabula quaedam tulerit, et Poemandri et Tanagrae origo a Neptuno deducitur. Cuius denique filium Orionem in fabulis Tanagraeis cum Pleiadibus coniunctum esse docuimus, e quibus una Alcyone, Neptuni uxor, tempestates hiemis et nubes significare (Preller: Myth. 3 2, 30) videtur, unde Neptunum marinum quoque deum celebratum esse conicitur.

## De Poemandro et Achille.

Ubi cumque heros ille clarissimus Achilles locum quandam in fabulis tenuit, eius religio ad mare respicere videtur, ita ut opinio eorum qui statuunt eam herois venerationem genuinam fuisse et ab Aeoliis puram conservatam esse reici non possit. Cui cum in multis Ponti Euxini et Hellesponti fanis in insulis aut in litoribus sitis, ubi *Ποντάρχης* cognomen antiquitus inditum erat, tum in Lacedaemonis amplissimo delubro sacra fiebant. Cur ei ad Tanagram sacellum exstructum esse dicatur, de Poemandro cum illo coniuncto acturus nunc Plutarchi (Qu. Gr. 37) verbis usus exponam. Tanagraeis recusantibus, ne Agamemnone duce Troianis bellum inferrent,

<sup>1</sup>) Imhoof-Blumer: Num. Ztschr. 3, 381 n. 70 R. *TA*: Vorderteil eines aufgezüumten springenden Pferdes, rechtshin; auf seinem Halse liegen die Zügel und ein Blätterkranz; n. 70 aR. *TA*: . . . Hals von einem Siegeskranz umhängen; n. 74; 75.



Achilles cum Achaeorum manu in Tanagraeam regionem insidiis patentem ingressus Poemandri matrem rapuit, nepotem Ehippi filium interfecit. Quo facto Poemander postquam aufugit, Poemandriam = Tanagram moenibus circumdare instituit et in architectum Polycritum, per ludibrium fossam transsilientem saxo arrepto magni ponderis consecrato, quam vim illud haberet nescius, pedem referentem iecit, occidit casu filium suum Leucippum. Quod testimonium propter metrum ex carmine populari superesse verisimillimum est. Neque vero fieri potest, quin eo loco Leucippi nomen ad Poemandri filium, cum contextus exhibeat *Λευκίππον δὲ τὸν υἱὸν* . . . ac non . . . *υἱὸν* aut . . . *τὸν υἱὸν αὐτοῦ* . . . spectet, qui ceterum Poemandri filius fuisse (cf. de Apolline p. 35) traditur. Poemander, cui propter caedem finibus decedendum erat, quippe quod Achaeis iniquis non posset exsequi, altero filio Ehippo ad Achillem misso impetravit, ut ipse a Tlepolemo et Peneleo ad Elephenorem Chalcidensem fide data deduceretur. A quo postquam expiatus est, Achilli gratiam redditurus cum ceteris agros consecravit tum Achilleum sacellum exstruxit.

Quo loco Achillem dei lustrandi partes, cuius sacra non procul a mari invenirentur, cum aquae marinae gravissima vis in lustrationibus tribueretur, habuisse intellegimus. Neque enim mirum est, quod iam veteres Achillis nomen = *ἄχος λύειν* interpretati sunt, ita ut ei medici munus ascriberent. Neque aliter quomodo Mannhardt (Wald- und Feld-Kulte p. 72) nomen explicuit, ad herois quadrat proprietatem, cum is vir doctissimus nomen ab *Ἀχιλλόγονος* (*ἄχιλη*) deducat. Thetis enim mater in anguem converti praecipue consuevit. Tuempell (Prgr. Neustettin 1887, 11) Nereidum sacellum in eadem regione hoc Pausaniae<sup>1</sup> loco adhibito (2, 1, 7) fuisse statuit; scripsit enim pro obscuro *ποιμαίνισιν*: *ἐν τῇ Ποιμανδρίδι* aut *Ποιμανδρία*, quod propter verba sequentia valde ad locum expediendum quadrat. Nam delubrum Nereidum dedicatum prope Achilleum fuisse, cum Thetis mater una ex his fuerit deabus, verisimile est et coniectura commendari videtur.

Poemander vero, urbis Tanagrae conditor, a quodam populari poeta, cuius carmina perierunt, celebratus et vi quadam, ita ut Achillem quasdam in Boeotis rebus partes habuisse fingeret, cum Achille coniunctus esse videtur. A quo et regioni sive urbi nomen *Ποιμάνδρον γαῖα* et genti *Ποιμάνδρον γενέη* (C I G S 580; 581) inditum esse dicitur. Imaginem eius in nummo, quem descripsit Imhoof-Blumer (N. Ztschr. 9, 29 n. 106) ubi herois barbati caput ad dextram versus repraesentatum est et circum caput inscriptum *ΠΟΙ(MAN)ΔΡΟΣ* legitur, expressam videmus. Poemandrum vero et Leucippum ad Mercurii Leuci sive Psychopompi venerationem respicere et nomina illa ex huius dei cognominibus nata esse (de Mercurio p. 13) iam exposui et herois stirpem addidi.

#### De Themide, Venere, Vesta.

Paus. 9, 22, 1: *ἐν Τανάγρα δὲ παρὰ τὸ ἱερόν τοῦ Διονύσου Θέμιδος ἔστιν, ὃ δὲ Ἀφροδίτης καὶ ὁ τρίτος τῶν ναῶν Ἀπόλλωνος.* C I G S 556: *τῇ Ἰστίῃ ἀνέθεικε . . .*

Paene nihil habemus, quod adiciamus, nisi quod Liber cum Themide Troezene quoque (Paus. 2, 31, 5) et Venus una cum eadem Themide etiam Epidauri colebantur (Paus. 2, 27, 5) Vesta vero, quippe quae domibus et urbibus tutelae sit, fieri non potest, quin adoretur.

<sup>1</sup>) *αἱ Νηρηίδες καλούμεναι· ταύταις καὶ ἑτέρωσι τῆς Ἑλλάδος βωμοὺς οἶδα ὄντας, τοὺς δὲ καὶ τεμένη σφίσιον ἀναθέντας ποιμαίνισιν, ἔνθα καὶ Ἀχιλλεῖ τιμαί.*



Achilles cum Achaeorum matrem rapuit, nepotem E. Poemandriam = Tanagram ludibrium fossam transsilier nescius, pedem referentem i metrum ex carmine popula loco Leucippi nomen ad P. ae non ... *νιδν* aut .. *των* Apolline p. 35) traditur. P. Achaeis iniquis non posset a Tlepolemo et Peneleo ad expiatus est, Achilli gratia exstruxit.

Quo loco Achillem de aquae marinae gravissima mirum est, quod iam veteri munus ascriberent. Neque explicuit, ad herois quadrat deducat. Thetis enim mater (1887, 11) Nereidum sacellum scripsit enim pro obscuro a verba sequentia valde ad prope Achilleum fuisse, cum commendari videtur.

Poemander vero, ur perierunt, celebratus et vi fingeret, cum Achille coniu *γαῖα* et genti *Ποιμάνδρον* nummo, quem descripsit In dextram versus repraesentat expressam videmus. Poem venerationem respicere et n iam exposui et herois stirpe

Paus. 9, 22, 1: *ἐν Ταν*  
*καὶ ὁ τρίτος τῶν ναῶν Ἀπό*

Paene nihil habemus, (Paus. 2, 31, 5) et Venus ur Vesta vero, quippe quae de

<sup>1)</sup> αἱ Νηρηίδες καλούμεναι ἀναθένας ποιμαίνουσιν, ἔνθα κο

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale

A 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

R G B C Y M W K G B C Y M

atentem ingressus Poemandri Poemander postquam aufugit, architectum Polycritum, per crato, quam vim illud haberet a. Quod testimonium propter e vero fieri potest, quin eo at *Λευκίππον δὲ τὸν νιδν* .. Poemandri filius fuisse (cf. de ecedendum erat, quippe quod em misso impetravit, ut ipse educeretur. A quo postquam avit tum Achilleum sacellum

cul a mari invenirentur, cum se intellegimus. Neque enim retati sunt, ita ut ei medici ad Feld-Kulte p. 72) nomen omen ab *Ἀχιλλόγονος* (*ἀχίλη*) t. Tuempell (Prgr. Neustettin adhibito (2, 1, 7) fuisse statuit; *Ποιμάνδρις*, quod propter lubrum Nereidum dedicatum s, verisimile est et coniectura

ulari poeta, cuius carmina Boeotis rebus partes habuisse sive urbi nomen *Ποιμάνδρον* e dicitur. Imaginem eius in ubi herois barbati caput ad *ΠΟΙ(MAN)ΔΡΟΣ* legitur, rii Leuci sive Psychopompi nata esse (de Mercurio p. 13)

*ἔμιδος ἔστιν, ὃ δὲ Ἀφροδίτης*  
*κε ...*

in Themide Troezene quoque i colebantur (Paus. 2, 27, 5) potest, quin adoretur.

*α ὄντας, τοὺς δὲ καὶ τεμένη σφίσιν*